

*Del lib. & Col. g.* ANTONI IMBROSCI *quædam*

MORNACII

IN SENATV

PARIS PATRONI.

OBSERVATIONES,

IN VIGINTIQUATVOR LIBROS

DIGESTORVM,

ET LIBRVM PRIMVM CODICIS

AD VSVM FORI GALLICI,

*est lib. & Col. g.*



PARISIIS,

Sumptibus Nicolai Buon, via Iacobæa, sub signo  
D. Claudij, & hominis sylvestris.

M. DC. V.

CVM PRIVILEGIO REGIS.



# RATIO INSTITVTI O P E R I S.



QVOD olim ex libris *Βασιλικῶν* præstitit Con-  
 stantinopolitana aduocatio, vt præcipua ex illis,  
 quotidianaque haberent ad manum qui in foro, &  
 iudiciis versabantur singuli, hoc ipsum tandem per  
 Forense 35. annorum studium assequi, & efficere ex  
 Pandectis, Iustinianiq; nostri codice conatus sum.  
 Nam quot loca sunt in rescriptis Principum, ac Iu-  
 risconsultorum responsis, quæ argutiores etiam, &  
 peritiores fallant, obducantque velut cæcas tene-  
 bras, quominus duo, vel paucula verba in lege emineant vnde magnæ ali-  
 quando lites decidantur? Fuit illa, inquit magnus Cuiacius, Græcorum di-  
 ligentia, & sedulitas, vt contextum Codicis, & Digestorum compendiosio-  
 rem, qui *Βασιλικῶν* nomen obtinet, ad quotidianum negotiorum vsum con-  
 ficerent. Hoc verò diutiùs cum apud me expenderem, imitandumque pro-  
 ponerem priusquam ad scribendum accingerer, occurrit sæpiùs illa cogita-  
 tio, non defore qui acturum me malè forsàn habituri sint, vel quia accisa  
 iam plus satis Iurisconsultorum responsa, vel quia quod recido, & præter-  
 mitto, illud tamen ad litem aliquam egregiè diiudicandam censeretur opti-  
 mum: denique sacram esse hodie Iustiniani compositionem, quam pro-  
 pterea mutari vel syllaba vna, aut concidi denuò, *καὶ δὲ ἄλλοτε ἐστὶ ἀδύνατον*, nimis il-  
 lud audaciæ est, atque instar piaculi. Fuerunt hæc, fateor, velut *ἰχθυοειδῆς*, ac re-  
 more, aut quædam etiam, si mauiis, terricula quæ me quasi ab instituto deii-  
 cerent:

*Romani Tullius auctor*

*Eloquii,*

nullum vnquam verbum quod reuocare vellet, emisit: ait ille. Quod præ-  
 clarè equidem D. Augustinus epist. 7. ad eos qui præcipiti festinatione li-  
 bros edunt inconsultius. Verùm nè quid mihi malè vertat apud calumnian-  
 di cupidos, sciant illi, *οὐκ αὐτὰρ ἔστιν ἄπειρον*, non ita me incautum, aut imperitum,  
 vt quippiam de stata forma iuris Romani moueam in quo desudarunt huc  
 vsque tot præcellentia cuiusque gentis ingenia, & cuius apices non nisi in  
 scholis, atque à voce magistra, quod ait Imperator, intelligi possunt, ac per-  
 cipi. Hoc enim ago potissimum, vt, quia plura sunt hinc inde à nostris con-  
 scripta volumina in quibus sparsæ fori quæstiones particulam semper iuris  
 obtinent, quæ vix ita facillè succurrit nisi exercitatissimi isti duces digitum



ANTONII  
 MORNACII,  
 IN SENATV PARISI. PATRONI  
 OBSERVATIONES  
 IN XXIII. LIBROS DIGESTORVM.  
 AD VSVS FORI GALLICI.

IN LIBR. I. DIGESTORVM,

TIT. I.

DE IUSTITIA ET IVRE.

VLPIANVS. LEX I.

*Ius à Justitia est appellatum. Nam, ut eleganter Celsus definit, Ius est ars boni & aequi, cuius quis nos Sacerdotes appellet. Iustitiam namq. colimus, & boni & aequi notitiam profiteamur, veram, nisi fallor, Philosophiam, non simulatam affectantes (al. affectantes.*



**L** O SENSU scripsit Tertullianus in Apologet. cap. 45. *Le-  
 ges Romanas ad innocentiam pergere: notavitque optimè  
 vnus Interpretum esse aliquid à veteribus illis Juriscon-  
 sultis tam sagaciter, & acurè, tamque admirabili æquita-  
 tis temperamento excogitatum, vt in nostrorum homi-  
 num ingenia tanta vnquam sagacitas, & solertia cadere  
 non potuerit. quod cum primus omnium occidentalium  
 didicisset Irnerius qui antecessoribus Constantinopolita-  
 nis operam dederat, auctor ille fuit circa annū M. C. XXX.  
 Imperatori Lothario vt cæterarum legum, quæ ea ætate  
 obtidebant, barbariem profligaret, atque intermota  
 tandiu diuinæ illius prudentiæ studia non accerseret modo, sed & doceri etiam in  
 scholis, seruarique deinceps in iudiciis promulgato in id edicto iuberet. nullus ex eo  
 tempore laborū hnis apud cuiusque gentis studiosos, vt deterfo squalore rudis seculi,  
 puriores tandem, cultioresque haberentur tam pretiosæ Imperii Romani reliquie:  
 nullusque ferè in hunc diem qui non fateatur ius illud omnium Christianarum gen-  
 tium viū, & approbatione commune idèd effectum, quia non auctoritate cuiusquam,  
 & imperio, sed perse, continuifque rationum viribus adrepat animis legentium, mira-*



ANTONII  
MORNACII  
IN SENATV  
PARIS PATRONI.

OBSERVATIONES,  
IN LIBRVM PRIMVM  
CODICIS,  
AD VSVM FORI GALLICI



PARISIIS,  
Sumptibus Nicolai Buon, via Iacobæa, sub signo  
D. Claudij, & hominis sylvestris.

M. DC. XVI.  
CVM PRIVILEGIO REGIS.



ILLVSTRISS. D. NIC.  
BRVLLARTO, FRANCIAE  
CANCELLARIO.



EMINERO semper, vir Illustrissime, fortunatum illum diem quo non ita pridem de Berniano tuo Paulylo interuifere dignatus es meam in colle obuerso, proximòque villulam, meq; assumere qui recum aliquamdiu spatiarer per ambulationes arboribus infructuosis opacas, perque circumuiridantia umbrosi nemusculi virecta. Decem paulò post versibus exegi, quoniam ita iusseras, quæ ad domus tue rutilantes duos apices: sed longa in hunc diem rerum à te gestarum series, seu ad ea vertatur stylus quæ, Senator cum esses, egisti, seu cum in tertia classe Inquisitionum Præses, deinde Comes consistorianus, postea legatus Hærrici III. ad Germanos, & Heluetios temporibus difficillimis, & cum interitura ferè videretur Resp. Gallica. Quanta autem in te Hærrici Magni fiducia semper fuerit, non Gallus modò didicit, sed Hispanus, Italus, Germanus, ac omnes denique qui per annos 20. audierunt hinc illinc de rebus Francicis. Compositis propè iam dissensionibus ciuilibus redieras in Senatum, in quo, ceu ad honoratissimum otium, insulati Præsidis dignitatem tibi dederat Princeps ille Maximus. Verùm ut te diutius carere non potuit, reuocatus es iterum ad firmandam patriam. Pax enim Hispana, quæ tandem Veruinijs composita, confecta que est anno 1598. sagaci tuæ prudentiæ, Quintique illius Fabij Maximi, dom. Belleurei, decessoris tui, qui cunctando semper restituit rem, non modò quod in hunc diem fuit, sed olim etiam, atque in annos longissimos debitura est: adeò nodis strictissimis, ac tenacissimis connexam, reuinctamque illam ambo conciliatores, atque *συνφραδιστας*, tradidisti. Quis verò non mirabitur cum Romane tuæ legationis successus insperatos leget, quæ nimirum impetrasti felicissimas tanto Principi nuptias cum Augusta nostra Medicæa unde animosi duo Principes sub quibus vel inuita quiescit vniuersa Gallia? Particulam eorum refero quæ apud vulgus. Meum non est contingere quibus consiliis, quæ arte, & solertia superata apud exteros tanta difficultates fuerint. Sopitus verò est iterum armorum furor, & positæ loriciis, atque galeis in faciem pacis per vniuersos Gallia fines ventum est, cum aliud longè formidarent omnes boni, & tunc maximè cum sacrilega infandi parricide manu tantus Princeps cecidit: cumque denuò sub adultæ, maiorisque ætatis Optimi nostri Ludouici, cui bene omnes precamur, prima initia, commoueretur cælum Gallicum. Summouit enim tandem, placidèque dissecit collectas nubes sociata tecum Illustrissimorù Villoregij, & Janinij, id





ANTONII  
**MORNACII**  
 IN SENATV PARISI. PATRONI  
 OBSERVATIONES,  
 IN LIBRVM PRIMVM CODICIS,  
 AD VSVM FORI GALLICI.

*PRIMA CONSTITVTIO, DE  
 NOVO CODICE FACIENDO.*



ERACTIS ad libros ferè 24. Pandectarum, qui volumin primum constituunt, annotationibus meis ex vsu quotidiano, ac forensi, aggredior nunc, Dei beneficio, interpretationem librorum Codicis duodecim, selecturus vt in Pandectis, præcipua cuiusque legis loca, & capita quæ ad vsum, mores, & historiam gentis nostræ faciant. Negotiosa ista prouincia, & improbilissimus labor, onusque granissimum: præmonet magnus Cuiacius in epist. ad Paul. fuxium: fateor verò equidem, manumque iterum, iterumque retuli veritus iniqua arbitria. Sed vt Cuiacio debetur quicquid in Iurisconsultorum schola

Lautius, ita & compositam à longis annis eam duntaxat suppellectilem explico, quæ, in tritura forensi, ad singulas ferè leges collecta est, vt peruagato orbem literarum laborioso cuique iumeni aperiat quædam, quæ domum reducat, via: Dixit Homèrus

ἄ. v. de suo Vlyssè:

ἐπὶ τῆς κέρδι τῆς,

Ἐὶ τόσσ' ὀδύσσι, καὶ ἄπο' ἔργου; ἢ αἰὲ δ' αἰμα.

Prima igitur hæc constitutio trium anteriorum Codicū meminit, Gregoriani, Hermogeniani, & Theodosiani. Gregorianus dictus est à Gregorio quodam, viro erudito, qui redegerat constitutiones ab Hadriano vsque ad Valerianum, & Gallienum. Hermogenianus complectitur constitutiones Claudij, Aureliani, Probi, Cari, Diocletiani & Maximiani: nomenque accepit ab Hermogeniano Iurisc. fortè eo cuius extant respōsa quædam in Pandectis. Theodosianus est Theodosij iunioris, & plus media parte mutilus. Plura in id Cuiacius in præfat. ad Cod. Basilica digesta sunt in 60. libros mandato Leonis Philof. Imperat. circa an. 895. omnesque Imperatorum constitutiones, paucis exceptis, continent. Codex autem Iustiniani absolutior longè, ac vltior vbique gentium ita visus est, vt & ipsum hodie Turcos Iudices sua lingua habere, quinimò & sequi in iudiciis testetur oculatus testis, Ioannes Leunclauius in præfat. antiq. paratiſtorum quæ de Græcis nuper edidit: olimque, eius exemplo, plures à variis totius

